



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

II. Exemplum Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

dentis, qui bibere & comedere dignatus est
 ut nobis exemplum praberet: & quia va-
 rietas in spiritualibus aequè ac corporali-
 bus cibis delectat; jam intueri eum cum
 B. Virgine & S. Ioseph cibum sumentem;
 jam in deserto Angelis ministrantibus;
 jam in convivio Cana; jam apud Mat-
 theum, Zachæum, Simonem, Martham
 prandentem, aut cum Apostolis ultimum
 cœnantem; & sanctos imitare mores, re-
 fectionem cum illius meritorie conjunge.

II. Exemplum Sanctorum.

Aspice exempla Sanctorum, non tantum
 Eremitarum, Pauli, Antonii, &c. sed &
 aliorum in omni statu & gradu; quàm
 modicè vixerunt? quàm rigide jejuna-
 runt? quot ad inventiones gulam mortifi-
 candi excogitarunt? Omnes propè vita
 Sanctorum hæc testantur: & tamen vitam
 longævam, sanamq; duxerunt. Vixit S.
 Antonius annos 105. S. Paulus primus E-
 remita 115. S. Jacobus Eremita 104. S.
 Arsenius 120. S. Simeon Stylites 109. S.
 Romualdus 120. S. Udalricus Episcopus
 105. S. Epiphanius 115. innumeros alios
 utriusque sexus, tenui victu & multis je-
 juniis

junis vitam ad 70. 80. 90. annos protrahentes. Partim mirare, partim imitare. Qui abstinens est adjiciet vitam. Eccli. 37.

III. Elcarum vilitas.

Expende quàm vile abjectumq³ sit, edere & bibere, quod hominibus cum brutis & vermibus commune est: & quid comedimus: herbas & fructus ex terra, ejusq³ pinguedine provenientes: deinde ferarū, volucrum & piscium cadavera, quæ in corporibus nostris velut tumulis sepeliuntur, atq³ in sordes & simū convertuntur. Confundere, humiliare, & operare cibū non qui perit, sed qui permanet in vitam eternā Joan. 6

IV. Pauperum necessitas.

Vide indigentiam innumerabilium mortalium, qui te longè innocentiores, Deoque gratiores sunt, & qui escas, quas tu nanctas, delicias reputarent; aut micæ de mensa tua cadentes, ac bolos canibus projectos cum gratiarum actione reciperent. Agnosce sensualitatem tuam & corrige.

V. Memoria fellis & aceti.

Intinge buccellam tuam in aceto Ruth. c. 2. Id est, ante sumpcionem cibi & potus, vel sub ea recordare fellis & aceti,